

TABVLA RECITATIONVM

IN
ACADEMIA LVDOVICIANA
PER SEMESTRE AESTIVVM
A DIE XI. APRILIS

CIDIDCCLXXXV.

IN CHOANDARVM.

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR.
BVCHNER
CVM SENATV.

Julius Pompeius Festus in opere de verborum significatione sub voce *Plorare* haec ad historiam legum Romanarum pertinentia commemoravit: In regis *Romuli* & *Tatii* legibus: "Si nurus, sacra diuis parentum esto, & in *Seruii Tullii* haec est: Si parentem puer verberit, aut olle plorasset, parentes, puer diuis parentum facer esto." Quae quidem *Festi* verba nobis ideo potissimum memorabilia videntur, quia solam illam legem continent, quam sub communi *Romuli* & *Titi Tatii* imperio latam esse nouimus. Argumentum autem legis illius quicumque erudere studuerunt, corruptum esse locum *Festi* contenderunt, atque emendatione a *Iosepho Scaligero* proposita vsi sunt, v. c. *Hofmannus* in *Historia iuris Romani* T. II. p. 12. & *Ritterus* in notis ad *Heineccii* *Historiam iuris* p. 15. *Scaliger* nempe verbis *Festi* turbatis per traiectionem mederi conatur, atque tali modo locum digerit; "In regis *Romuli* & *Tatii*, & *Seruii Tullii* legibus haec est: Si parentem puer verberit, aut olle parentes plorasset, puer diuis parentum facer esto, seu nurus, sacra diuis parentum esto." Secundum hanc *Scaligeri* interpretationem *Seruius Tullius* legem *Romuli* & *Tatii* tantummodo repetiit. Etsi sententia legis verbis sic ordinatis clarior appareat, emendatio tamen illa haud admodum necessaria nobis quidem videtur. Inter figuras rhetoricas, quae breuitati inferuiunt, nec minus orationem obscurant, quam ornant, notissimum est *ἀναρταξοδορὸν*, species brachyologiae, ubi, quae in priori enuntiatione omittuntur, e posteriore supplenda sunt. Toto igitur *Festi* loco perlecto facillimum nobis & obuium videtur, legem *Romuli* & *Tatii* ita restaurare, vt legamus: Si nurus parentem verberarit, sacra diuis parentum esto. Nurus scilicet tam socerum quam socrum verberare prohibetur, quippe qui ipsi parentum loco colendi sunt. Mulier enim, quae secundum morem Romanorum in manum mariti conuenit, tanquam filia ipsi subiecta, ideoque etiam in foceri potestate est. *Ritterus* quidem opponit, superuacaneam fuisse legem illam, quum focer iam secundum statuta *Romuli* de patria potestate iudicium domesticum in nurus truculentas exercere potuisset, verum atrociam & frequentiam delicti legislatores ad singularem & grauiorem poenam sancendam adiecit. Pariter *Seruius Tullius* legem de pueris parentem verberantibus talit, etsi iam e *Romuli* legibus patri ius vitae atque necis in liberos competeret. Licet *Rittero* assentiamus, *Merulae* opinionem vituperanti, qui *Sabinarum* recens nuptiarum ferociam occasionem legi dedisse existimat, (quarum animos ita mitigatos fuisse *Liuius* testatur, vt bellum inter maritos & patres ortum componerent) attamen non inter *Sabinas* solum, sed etiam *Romanas* pro ruditate illius saeculi complures extitisse putamus nurus, quae non iurgia tantum cum focero

focruae susceperint, sed manus quoque violentas illis iniecerint, ita ut ad seruandam pacem domesticam legis auxilio opus fuerit. Secundum veram illam, quam *Ritterus* ipse profert, *Terenii* in *Hecyra* obseruationem: *Omnes focrus oderunt nurus*, atque pro impotentia irae muliebri sapius fieri potuit, ut nurus in capillos focus inuolaret, & unguibus os eius dilaniaret. Nurus eo fauiciae progressas esse, *Ritterus* eam ob causam dubitat, quia metus eas continuerit, ne focus graues e continenti ab iis poenas fameret. Atat mens vehementius commota, quae vel amantem incitat, puellam plagis afficere, metum omnem de poenis instantibus exiit. Quare, si nurum, quae nouum focus imperium impatientius perfert, atque, ut cum *Sostrata* apud *Terenium* loquamur, animum ita induxit, focus omnes esse iniquas, si focrum talem cogitemus, qualem *Ouidius* *Fast.* II. 626. descripsit:

-Quae premit inuisam focrus iniqua nurum,

nurus ad pulsandam focrum facillime excitari posse videtur. Addit *Ritterus*, ne fingi quidem posse, focus omnes fuisse viduas, in quas nurus liberius crudelitatem exercere poterint. Quamuis non omnes viduas fuisse concedamus, multitudo tamen focrum viris orbaturum ad illas legis autoritate tuendas reges istos impellere potuit. Porro *Ritterus* exclamat: "Quis sibi persuadeat, focrum ipsum patienter excepisse a nuru verbera, ni senem fingere velit decrepitem?" Quodsi vero vel mariti nonnunquam verbera vxorum patienter tolerant, ita ut leges moresque patrii plura in contumeliam talium virorum statuerint, focri etiam interdum tam pusilli animo & imbelles esse possunt, ut nurus eos verberibus insectentur. Verum enim vero legislatores non de patientia verberatorum, sed de audacia verberantium cogitant, manusque ad pulsandum sublata, vnusue ictus nurus reas facere potuit criminis ex hac lege puniendi. Quemadmodum filii interdum tam insipii sunt, ut patres fustibus aggrediantur, ita nurus immanes inuadere focros possunt. Denique *Ritterus* nomine parentum illa aetate focrum focrumque intelligi posse negat. Quanquam vsu loquendi, quo inde a scriptoribus Historiae Augustae omnes cognatos & affines parentes appellare consueuerunt, *Romuli* temporibus alienum fuisse concedimus, *Ritterus* tamen aliter iudicasset, si eorum meminisset, quae supra de potestate mariti Romani commemorauimus. Quum, teste *Caio* in L. 53. D. de ritu nuptiarum, nuptiae consistere non possint inter eas personas, quae in numero parentum liberorumque sunt, nurum vxorem apud Romanos ducere non licebat, quia, ut in *Instit.* Tit. de Nupt. P. 6. dicitur, filiae loco est. *Caius* in *Institutionibus* Lib. II. Tit. 8. (in *Schuldingii* iurisprudencia Aeneasiana p. 133.) nexum inter nurum focrumque his verbis descripsit: "Vxor quoque, quae in manu eius est, sua haeres est, quia filiae loco est, item nurus, quae in filii manu est, nam & haec neptis loco est." Illustrari inde potest locus *Plinii* *Hist. Nat.* Lib. VII. cap. XI. vbi *Q. Metellus* Macedonicus nurus generosque, omnesque, qui se patris appellatione salutarerent, viginti septem reliquisse narratur. Nulla igitur necessitate compellimur, sensum vocis nurus cum *Ritzero* ita extendere, ut mulierem omnem filiam, virginem, matrem, nuptam, inuuptam ea significari arbitremur. Etsi apud poetas v. c. *Claudianum*, *Propertium*, *Ouidium* (*Met.* II. 366. *Trist.* II. 304.) *Virgilium* (*Aen.* II. 501.) per nurus latius dictas focminas iuniores vniuersim indicari concedamus, semper tamen notio subest, eas nuptas esse. Praeterea poetarum translationes & synecdochicae locutiones solutam orationem, praesertim legislatoris, qui summam perspicuitatem sectari debet, minime decent. Caeterum non omnium verberum, quae nurus parentibus infligunt, sed eorum tantum *Romulus* & *Tatius* rationem habuerunt, quibus parentes plorare coguntur. Quod quidem (licet, *Ostio* in L. 5. D. de iniuriis autore, inter pulsationem & verberationem hoc intersit, ut verberare sit cum dolore caedere, pulsare sine dolore) non de lacrimis intelligendum esse *Festus* ipso monuit, dicens: "Plorare, flere, inclamare" nunc significat, & cum praepositione implorare, id est, inuocare, at apud antiquos plane "inclamare." Tantam igitur verberum fauiciae reges in ista lege inuunt, ut parentes aliorum parentum, (ast ille plorasset parentes) vicinorum, ciuium, ipsorumque adeo iudicum opem implorare, atque proquirere cogantur, tantum domesticum tumultum, ut pax publica eo turbaretur. Existimantur scilicet legislatores, non quasuis rixas inter cognatos & affines publice innotescere, quaecumque autem palam gerantur, grauissime puniendas esse. Cur crimen nurus in focrum focrumque commissum publica poena dignum reges Romani censuerint, genere poenae, quam proposuere, docemur. Quum enim nurus cum focro atque focru eadem sacra colant, crimine illo deos gentis offendunt, atque merito capita earum penaribus deuocentur, id est, impune illae a quouis tolli possunt, ut morte earum numinibus laesis satisfiat. E *Seruii Tullii* lege contra pueros, qui parentes verberant, *Raeuarius* ad leges XII. Tab. p. 3. minus recte colligit, parentibus eo tempore omne ius in filios animaduertiendi ademptum fuisse; sic enim *Romulus*, qui parentibus, ideoque etiam focris, summam potestatem tribuit, lege illa superfedere potuisset. Non ob defectum patriae potestatis, sed cum in finem *Romulus*, *Tatius*, & *Tullius* illa statuerunt, ut horrorem criminis auerent, quod tam graue Romanis videbatur, ut *Virgilius* *Aen.* VI. v. 609. inter eos, qui apud inferos poenas patiuntur, praecipue eos nominet, quibus parens pulsatus fuit. Sub imperatoribus autem patria potestate sensim imminuta, si filius parentibus impias manus intulisset, praefectus vrbi delictum vindicabat, teste *Vlpiano* in L. 1. D. de obsequiis. *Iustinianus* in Nou. 115. inter iustas exhaeredandi causas reuulit, *in ius ius idius γόνουσι χείρας ἐπιβαλεῖ*. — Haec haec hactenus. Copiosiore cohortationem ad Vos, *Commilitones suauissimi*, addere non necessarium videtur, quum certissimam spem alamus, fore, ut omnes neruos ad parandam solidam eruditionem intendatis, atque in via, quam ad eum obtinendam ingressi estis, nobis collegisque nostris ducibus strenue pergatis.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. GEORG. ROSENMÜLLER *privatim* hora X-XI. interpretabitur Psalmos; hor. II-III. historiam religionis & ecclesiae christianae a Christo ad Carolum M. e compendio Schroeckhiano enarrabit; *publice* scholas catecheticas theoretico-practicas iterum aperiet.

D. IOHANNES GEORGIUS BECHTOLD hora VII. matutina theologiae dogmaticae partem alteram, praeunte ven. DOEDERLEIN, praeleget. Hora VIII. religionis Christianae veritatem duce Ven. LESSIO demonstrabit. Hora II. collegium biblicum in dicta S. C. quae *classica* vocantur, continuabit. Hora III. ex desiderio auditorum in theologiam symbolicam commentabitur, praeunte BÜSCHINGIO.

D. LVDOVICVS BENIAMIN OUVRIER. Hor. VII-VIII. Theologiam moralem docebit duce Lessio. Hor. IX-X. — dogmaticam praeunte Seilero, de altera hora coram cum Auditoribus conveniet. Hora XI-XII. Historiam ecclesiasticam V. T. narrabit, duce Spanhemio. Diebus Mercurii & Saturni hora commoda ad proprium compendium homileticas exercitationes instituet.

IOH. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. IX-X. Theologiae *dogmaticae* partem priorem ex HELLMANNO tradet *privatim*. Hor. X-XI. iis non deerit, qui de quaestionibus theologicis disputare sibi proposuerunt. Si iusta de hora conveniet, *Basilii* M. Orationem de legendis gentilium libris ad edit. Potter. denuo Lips. 1779. gracc. excusam, interpretabitur.

LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH Institutiones iuris civilis ex HEINECCIO, Pandectas ex HELLFELDIO, Ius Canonicum ex BOEHMERO, Ius Criminale e compendio suo tradet. Disputatorium quoque & Examinatorium offert.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS *publice* habebit *praelectiones encyclopaedicas* siue introductorias in vniuersum studium iuris. *Privatim* Hor. VII-VIII. Ius *feudale* BOEHMERO duce tradet; Hor. III-IV. *Historiam Imperii* R. G. SELCHOVIO praeunte narrabit. *Collegium elaboratorio practicum* volentibus aperiet; & *praelectiones ad Ius mercatorum & cambiale* ex libris suis offert.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora VIII-IX. *ius Germanicum privatim* ad filium SELCHOVII, hora IX-X. *ius publicum I. R. G.* praeunte PÜTTERO, eodemque duce hora XI-XII. diebus Martis & Iouis *ius privatim principum*, proponet. *Collegium processuale practicum* hora commoda desiderantibus aperiet; neque iis deerit, qui *processum summorum imp. tribunalium* addiscere cupiunt.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BÜCHNER. *Privatim* hora IX-X. & XI-XII. ad b. HELLFELDII iurisprudentiam forensis secundum ordinem pandectarum commentabitur. Hora X-XI. principia iuris naturae & gentium, filium libelli ill. HOEFTNERI sequuturus, omni fide & industria tradet. Hora V-VI. historiam iuris duce SELCHOVIO enarrabit. *Publice* diebus Saturni exercitationes disputatorias aperiet.

LECTIONES MEDICAE.

D. IOAN. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. hor. IX. antemerid. praeunte b. m. I. Z. Platnero, in arte medendi singulis morbis accommodata, fundamenta pathologico-therapeutica, longa praxi firmata, ponet. Hora XI. *praelectiones* in A. C. Celsi libros de medicina, eum in finem, iterum auspicabitur, ut principiis medicinae Hippocraticis Philatri nostri imbuantur, iidemque puro latino sermone dogmata medica proponere, discant. Hora II. pomeridiana iurisprudentiam medicam, secundum principia sua, sub medicinae forensis titulo prostantia, tradet. Si vero quamcunque aliam vtriusque medicinae partem addiscere, Dn. Commilitones praoptauerint, ad eam quoque tradendam, paratus erit.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ. H. VII-VIII. Physiologiam praeunte Metzgero H. VIII-IX. Anatomiam theoreticam duce Plenckio explicabit. *Praelectiones* in Medicinam Veterinariam, vel alia desiderantibus haud deerit. *Collegium Examinatorium Anatomico Physiologicum*, hora auditoribus commoda offert.

D. CAROLVS WILHELMVS CHRISTIANVS MVLLER publice medicamenta ex naturae regno minerali defumta, horis auditoribus commodis enarrabit. *Priuatim* h. VII-VIII. Physicam dogmatico-experimentalem h. VIII-IX., Botanicen ad systema *Linneanum* h. IX-X. Therapiam specialem, praeunte b. *Vogelio* tradet. *Priuatissime* mineralogiam, eamque chirurgiae partem, quae de oculorum morbis & calculi curationibus agit, exponet.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM. Horis VII. & VIII. matutinis *metaphysicam* & *logicam* ad ductum compendiorum a se editorum; horis II. & III. pomeridianis *mathesin puram* & *applicatam* praeunte b. WOLFIO docebit, lectiones priuatissimas continuabit & bibliothecam academicam c. t. aperiet.

IOH. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. XI-XII. Epistolas Iacobi, Petri, Iohannis & Iudae *catholicas* interpretabitur priuatim. Hor. I-II. *Grammaticam hebraicam* ex SCHROEDERI institutionibus ad fundamenta L. H. docebit, praxinque regularum ex *libro suo elementari* hebraico monstrabit priuatissime — ead. hor. dd. Mercur. & Saturn. HAMLET, *prince of Denmark, a tragedy by W. SHEAKE-SPEARE*, ex noua III. PIEZII editione (Goetting. 1784.) interpretabitur publice.

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Poet. & Eloqu. P. O. Hor. VIII-IX. Praecepta filii bene Latini duce *Schellero* tradet, Hor. III-IV. *Horatii Odas* illustrabit, Hor. IV-V. Notitiam librorum cuius studio vtilissimorum e libello S. R. *Milleri* Anleitung zur Kenntniss auserlesener Bücher exhibebit, ad tradenda *Rhetorices* & *Poeticas* elementa, aliaque paratissimus.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. P. O. Historiam *Europaeam* hor. VIII. *Vniuersalem* hor. XI. Philosophiam *moralem* hor. VII. ad Compendia sua docebit. Praelectiones offert in Historiam I. R. G. Procerum, in Histor. literariam, in Histor. ecclesiasticam vñibus Studioforum Iuris accommodatam.

LECTIONES OECONOMICAE.

IOANNES AVGVSTVS SCHLETTWEIN hor. matut. VII-VIII. *Oeconomiam politicam* s. vniuersum disciplinarum cameralium complexum, secundum proprium systema, hor. VIII-IX. *Oeconomiam forestalem* duce Succouio; hor. X-XI. *Ius naturae & gentium*, secundum proprium libellum, & hor. XI-XII. vel *Praecepta politicae* (die Polizcy) vel *Scientiam monetariam*, vel *Oeconomiam ruralem*, prouti auditoribus e re visum fuerit, explicabit.

D. IO. WILH. BAVMER, histor. natur. & Chemiae Prof. hor. X. antemerid. doctrinas de materiis, instrumentis atque operationibus chemicis proponet, istarum atque illarum obiecta oculis subiiciet, harumque singularum experimenta, diebus horisque consuetis, instituet. Praeter ea temporibus Vobis, Dni Commilitones, commodis, coeloque fauente, excursions mineralogico-botanicas diligenter suscipiet.

GEORG. FRID. WERNER h. VIII-IX. Architecturam ciuilem, h. X-XI. Geometriam practicam tradet; h. XI-XII. collegium priuatum in Mechanicam; Hydraulicam &c. continuabit. H. VI-VII. antemer. priuatissime Opticam &c. docebit. Ad alias praelectiones in Mathesin puram vel applicatam spectantes quoque paratus.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IO. FRID. ROOS Philosoph. P. P. E. O. *Cyropaediam Xenophontis* & aliquot *Iliadis Rhapsodias* quater de hebdomade explicabit hora matut. VI-VII. — filii romani eiusque cultioris studiosis offert collegium elaboratorio-disputatorium H. XI-XII; nec iis deerit, qui vel Anglicam vel Hebraicam linguam addiscere cupient.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta *equitandi, pugnandi gladio saltandi*que palaestra, *Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros eorum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

Gissae, Ex Officina Brauniana.

